



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 50. Selimi II. Turcarum Imperatoris consilium de invadenda Insula
Cypro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

lo: *liber contra dogma Francisci Stanca-*
ri: hoc opus Pinczoviæ Anno fa-
 lutis nostræ millesimo quingentesimo
 sexagesimo fuit typis impressum, de quo
 Prateolus, seu Preau testatur, quod
 Staphylus illud perlegens illius autho-
 rem mox hæresis damnari: Stator eo-
 dem hoc anno die vigesima nona Ja-
 nuarii Joanni Lasckio oratione funebri
 parentavit, scripsitque epistolam ad Re-
 migium Chelmium anno millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo primo die trigesi-
 ma Januarii datam, quæ exhibet re-
 sponsum Pinczoviensis Synodi jussu red-
 ditum circa quæstionem: an Spiritus
 Sanctus sit invocandus: edidit insuper
 Polonicam Grammaticam præter Biblia,
 quæ Pinczovienses Polonice reddide-
 runt, suisque sumptibus Princeps Ni-
 colaus Radzivilus Vilnensis Palatinus
 anno Christi millesimo quingentesimo
 sexagesimo tertio typis excudi curavit,
 iisque concinnandis præter Statorem
 plures alii docti suam operam locarunt.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1570.

§. L,

Selimi II. Turcarum Imperatoris con-
silium de invadenda Insula Cypro.

Cum hi Novatores suos errores in Po-
 lonia propagandi studio ferverent,
 interea Selimus Turcarum Imperator
 violato pacis fœdere, quod Solimanus

Thu. l. 49.
 p. 507.

P p 2

II.

Sæcul. XVI. II. ejus Pater jurata fide cum Venetis inierat, ac ille innovaverat, Insulam A.C. 1570. Cyprum Venetæ Reipublicæ obnoxiam occupare statuit, areptoque hoc consilio ad Venetos scriptum transmissit, in quo sibi in hanc Insulam jus competere declarabat, eis denuntians, quod illud armis prosequi decrevisset.

§. LI.

Veneti bellum contra Selimum parantes.

Thuan. l. c. Venetus Senatus Mense Aprili circa annum Domini millesimum quingentesimum septuagesimum Selimi Legato hæc in responsis dabat: „Hucusque nos amicitiam cum Selimo ex fœdere religiosa, ac sincera fide colimus, prout Deum, ac conscientiam nostram hujus veritatis testes habemus: de cetero parati sumus extrema quæque tentare, & experiri, antequam ad tam iniquas, & nomine Serenissimæ Reipublicæ indignas conditiones minis, aut ulla alia ratione adigamur, Cyprus enim neque juris Muselmanici est, neque unquam Imperio Mamaluchi paruit: tributum vero, quod pepigimus, hæctenus persolutum fuit, & cetera, quæ obtinentur, maligne ab iis conficta sunt, qui belli injusti gerendi occasionem
„quæ-